Sigismundus Augustus dei gratia Rex Poloniæ Magnus Dux Lithwaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ etc dominus et hæres

Generose fidelis nobis dilecte. Mandamus F. tuæ habere omnino volentes. Ut mox visis præsentibus literis nris. Centum aureos Hungaricos, qui Constantinopolim Nicolao Armeno Interpreti nrô Turcico, et in Turciam nuncio, sine mora mitti debent, in manus Generosi Mathiæ Goreczki vexilliferi Poznanień. Secretarij nostri, et Exercituum Campestris Notarij. et in eius absentia, Proconsulis leopolień. numeret et soluat, pro viatico vero huic Armeno qui cum hac peccunia expeditur. tantum F tua det, quantum ab ipso Generoso Mathia Goreczki vel Proconsule leopoliensi missa fuerit. Nos vero. tam Centum aureos. Quam id quod in viaticum numerabit. a F. tua in rationi suscepturi sumus. et præsentibus illam de eisdem quietamus. Quibus in fidem manu nrâ subscripsimus. et sigillū nrūm apprimi iussimus. Dat Vilnæ prima die Mensis Januarij. Anno domini M°. D°. Lvto. Regni vero nostri. XXVto

Sigismundus Augustus
Rex sst.

Generoso Jacobo Ostrowskii. Theloneorum nrorum Sendomirien
Lublinen & Leopolien, Exactori fideli nobis dilecto:
In absentia eius Notario seu vicesgerenti Leopoli